



SINENSIS IMPERII  
LIBRI CLASSICI  
SEX,

N I M I R U M

ADULTORUM SCHOLA,  
IMMUTABILE MEDIUM,  
LIBER SENTENTIARUM,  
MEMCIUS,  
FILIALIS OBSERVANTIA,  
PARVULORUM SCHOLA,

*E Sinico idiomate in latinum traducti*

A

P. FRANCISCO NOËL Societatis JESU

MISSIONARIO.

*Sum B. V. Mariae in Rosenbuech*  
SUPERIORUM PERMISSU.



PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandæ, in Colle-  
gio Soc. JESU ad S. Clementem, per Joachimum Joannem  
Kamenicky p. t. Factorem, Anno 1711.

BIBLIOTHECA  
REGIA  
MONACENSIS

# PRÆFATIO AD LECTOREM.



Ante latinam sex Librorum Classicorum  
Sinensium versionem Tibi exhibeo ,  
Amice Lector , non tantum ut discas,  
quæ Sinæ scripserunt , sed & ut agas , quæ rectè  
senferunt ; multa enim & longa antiquitate  
commendata , & vera virtute digna in se conti-  
nent ; nec fortasse in doctrina , si substantiam ,  
non modum spectes , antiquis Græcis impares.  
Nè tamen expectes libros , qui rerum inventio-  
ne , partium dispositione , ordinis partitione ,  
argumenti connexionem , uti recentiores ferè con-  
sueverunt , statim & oculos & animum rapiant ;  
more Veterum loquuntur ; rem , non artem  
quærun ; nunc sententias avulsas , nunc dia-  
logos , nunc exempla proponunt ; quamvis  
etiam eleganti connexi sermonis stylo , & ordi-  
nato dicendi cursu non rarè ratiocinium institu-  
ant , ac præsertim Doctoris Memcii liber , qui  
familiari argumentandi & persuadendi artificio  
singularem concatenatorum dialogorum ordi-  
nem servat.

Deinde nec reconditam, aut sublimitate miram tibi finge doctrinam; solam Ethicem vulgarem, morum compositionem, Familiæ disciplinam, & ferè semper boni regiminis, ad quod omnia sua dicta referunt, artem hi libri spectant. Unde non tam ipsa nova argumenti ac materiæ præstantia, quàm ingens hominum multitudo, qui illis dant operam, me impulit ad aggrediendam istam laboriosam versionem; siquidem omnes pueri Sinenses, qui in urbibus, oppidis, pagis artem legendi & scribendi addiscunt, (& sunt copiosissimi,) hos quinque libros, *Scholam Adultorum*, *Librum Sententiarum*, *Medium Immutabile*, *Memcium*, *Scholam Parvulorum* non tantùm legunt ac perlegunt, sed etiam penitùs memoriæ mandant. Et quicumque ad obtinendum Baccalaureatùs gradum se examini subjiciunt, decerptas ex his libris sententias ad breves quasdam orationes componendas à provinciali litterarum Præfecto accipiunt.

Insuper omnibus Baccalaureis imponitur eodem modo addiscendus filialis Obedientiæ libellus, præter unum ex aliis quinque libris classicis dictis *Ou Kim*, quem ad suum arbitrium unusquisque

quisque eligit; ideòque istum filialis Observantiæ libellum etiam vertendum & latinitate donandum judicavi. *Ou Kim*, id est, quinque classici priscorum Sapientum libri, quorum nomina sunt hæc: *Xu Kim*, liber Annalium Imperialium; *Xi Kim*, liber Carminum; *Ye Kim*, liber mutationum ac productionum; *Li Ki*, liber Rituum; *Chun Cieu*, Ver & Autumnus. Hos non judicavi vertendos, tum quia ab omnibus & singulis, ut jam dixi, Baccalaureis non perdiscuntur, tum quia eorum nonnulli sunt valde prolixi, parùm succosi, nec minùs tædiofi, præter aliarum etiam occupationum laborem, qui ad hoc opus suscipiendum nec tempus, nec otium concessit.

Vides itaque penè innumerabiles esse discipulos, qui istis sex suprà memoratis libris assiduam operam navant, & numero quidem longè plures, quàm qui in tota Europa prima linguæ Latinæ rudimenta ponunt. Omitto Tumkinenses, Cochinchinenses, Coreanos, & alios multos Chinæ finitimos populos, qui istis etiam addiscendis animum passim intendunt. Numquid igitur, quod tam multi populi callent,

hoc nôsse Europæos addêcet? Maximè cùm tam  
sæpè de scientia Sinica sermonem faciant; imò &  
subinde inter se litigent; sed quid verè sentiant  
Sinæ, defectu exactæ librorum Sinensium ver-  
sionis, plerumque non possunt satis dijudicare.  
Quamvis enim à centum & ampliùs annis, ex  
quo Missio Sinensis cœpit exordium, istorum  
librorum versio aliquoties tentata, imò & ut-  
cumque inchoata fuerit, nondum tamen huc  
usque absoluta prodiit; quocirca hanc, utpote  
absolutam, nec fortè ingratam nec inutilem  
fore existimo; præsertim cùm verum ipsorum  
Interpretum Sinensium, & originalem sensum  
accuratè sequi studuerim, propriam tamen phra-  
sis latinæ claritatem pro phrasibus Sinicæ eleganti-  
quæ de more est maxima, afferre conatus; ideò  
que interdum Authoris menti magis, quàm ver-  
bis, nè nimis obscurus forem, me adstrinxi.  
Verùm nè speres quoad latinitatem & stylū ulti-  
mâ limâ politum opus; advertas enim & in Mis-  
sione confectum, & in festinatione impressum.  
Genuinum autem librorum sensum, plerumque  
intellectu non aded facilem, me sat affecutum  
fuisse, prudens Lector, forsitan tibi persuadebis, si  
cogi-

cogites me post longum viginti annorum & amplius studium, quibus isti linguæ Sinicæ addiscendæ & istis libris pervolvendis non segniter vacavi, hanc tandem versionem in lucem edere. Attamen cùm sit hominis posse labi & falli, sicubi fortè aut in verborum significatione, aut in sermonis connexione lapsus quosdam deprehenderis, dummodò bene idiomatis & librorum Sinarum sis gnarus, eos corrigas velim; non injucunda accidet correctio.

Denique cùm Sinæ in istis libris classicis apponere soleant notas, quæ aut sententias aut sensum discriminant; idèd in his versionibus etiam curavi ad marginem adscribi numeros, qui illis notis respondent.

Atque hæc generatim dicta sufficiant; speciatim enim unicuique libro ad clariorem ejus intelligentiam duo verba insuper præponam. Fructu, Lector, patientiæ non modicæ fructu; & dum leges Sinarum doctrinam, Christianorum vitam cogita. Utinam utrisque lapis angularis fiat CHRISTUS!





# INDEX ET SYNOPSIS CAPITUM ET ARTICULORUM.

## LIBER I. Adultorum Schola S E U Doctrina.

**H**ic liber dividitur in duas partes.

In prima (pagina 10.) sunt ipsa Confucii verba, quibus asserit Adultorum doctrinam consistere in reparanda propria & alienæ rationalis facultatis primitiva claritate, & in quaerenda hujus claritatis summa perfectione, in qua sola sistendum est. Ut hoc autem obtineri possit, oportet primò perscrutando rerum naturas, acquirendo veri Boni & veri Mali cognitionem, stabiliendo voluntatem in veri Boni amore, & in veri Mali odio, tenendo cordis rectitudinem, componendo suos mores, reparare primitivam propria rationalis facultatis claritatem. Deinde ex hac propria reparatione sequitur ultra aliena, videlicet totius Familiæ concordia, Principatus bonum regimen, universi Imperii pax ac tranquillitas.

In secunda (pag. 13.) hanc succinctam Confucii doctrinam, ejus discipulus Tsem Tsiu decem parvis capitulis explanat. In primo explicat quid sit reparare primitivam suæ rationalis facultatis seu suæ rationis facultatem. In 2. quid sit renovare alios, sive populum. In 3. quid sit in summa perfectione ac bonitate sistere, In 4. quid sit unum primariò, id est sui reparationem; & alterum secundariò, id est aliorum renovationem spectare. In 5. quid sit investigare rerum naturas, & perfectam veri Boni, & veri Mali notitiam acquirere. In 6. quid sit suam voluntatem in veri Boni amore, & in veri Mali odio stabilire. In 7. quid sit veram cordis rectitudinem tenere, ut possit quis vitam & mores suos rite componere. In 8. quid sit vitam & mores rite

## Index & Synopsis Librorum.

componere, ut possit quis totam suam Familiam bene dirigere. In 9. quid sit totam Familiam pulchro disciplina ordine, pace, concordia bene dirigere, ut possit quis Principatum suum recte gubernare. In 10. quid sit Principatum recte gubernare, populum amando, virtutem sectando, sapientes Ministros eligendo, moderatas opes congregando, ut possit quis suo exemplo universum China Imperium commovere, ad virtutem excitare, componere, pacare.



## LIBER II.

# Immutabile Medium.

**H**ic liber continet 33. parva Capitula, seu Articulos.

In primo cap. (pag. 41.) explicat quid sit natura, naturæ ductus, & recta vitæ disciplina; in his enim consistit Immutabile Medium seu recta via, à qua non licet recedere, quin erretur; & ne ab hac recedatur, invigilandum est primis & subtilibus propriis cordis commotionibus. Deinde harum commotionum causa, effectus, concordia explicatur.

In 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. cap. (pag. 43.) Hoc Immutabile Medium, in quo nec per excessum, nec per defectum peccatur, quòdque à paucis servatur, per varia prudentiæ, pietatis, fortitudinis exempla deducitur. Sapientes, qui in his virtutibus Immutabile Medium tenuere, referuntur.

In 12. & 13. cap. (pag. 47.) Ista Medii via tum quoad speculationem, tum quoad praxim, est facillima simul & difficillima, patens & recondita, arcta & vasta.

In 14. cap. (pag. 50.) In omni negotio & statu Sapiens sui officii limites non transilit.

In 15. & 16. cap. (pag. 51.) Immutabile Medium est similis longæ viæ, vel spiritus naturæ ac virtuti.

In 17. 18. 19. cap. (pag. 52.) pro exemplo Immutabilis Medii affertur filialis Principum Xun, Ven Vam, Vu Vam, Cheu Kum observantia, & sancita ab his parentandi leges ac ritus.

In 20. cap. (pag. 56.) ostenditur, quòd ad bonum aliorum regimen prærequiritur sui ipsius regimen, sive suorum morum compositio. Morum compositio sita est maxime

## Index & Synopsis Librorum.

in tribus virtutibus, prudentia, pietate seu cordis reſtitutione, fortitudine. Prudentia ad cognoscendam, pietas ad ſequendam, fortitudo ad perficiendam hanc communem omnibus hominibus Immutabilis Medii viam conducit ac requiritur. Deinde exponuntur novem univerſales ritè imperandi leges. Harum omnium baſis eſt vera priorum morum compoſitio, Immutabili Medii acquiſita. Veritas autem debet eſſe tum in corde & affectu, tum in opere & effectu; ad veritatem enim tamquam ad primum principium omnia referuntur. Veritas eſt Cæli agendi via: & veritatis ſtudium, eſt hominù agendi via ad acquirendum Immutabile virtutis Medium. Hoc ſtudium debet eſſe diligens & conſtans.

In duodecim ſequentibus Capitulis (pag. 62.) explicatur immenſa perfectio viſi ſapientis, qui ſummam virtutis veritatem aſſecutus eſt. Hac veritate Sapiens non tantùm ſe, ſed etiam alios perficit; rebus futuris proſpicit, eas quaſi prævidendo; ad omnia ſe extendit ſive in cælo, ſive in terra. Si ſit Princeps, optimas leges feliciffimo ſucceſſu ſancit. Ejus viſus eſt ſimilis Cæli virtuti tum univerſali, tum particulari; illam ubique omnes ſuſcipiunt ac colunt.

In 33. cap. (pag. 71.) ad acquirendam hanc ſummæ veritatis, in qua Immutabile virtutis Medium ſuum eſt, perfectionem non requiruntur facta ardua, inſolita, ſulgentia; ſed opus eſt virtute interiori, occulta, imperceptibili.



## LIRER III.

# Sententiarum Liber.

**C**Um totus hic liber res inter ſe diſjunctas complectatur, non poteſt facile earum compendium aut argumentum proponi; ideo indicabo tantùm nonnulla, de quibus præcipuè agunt ſinguli Articuli. Sunt ergo hæc:

1. Artic. (pag. 83.) Diverſæ Sapiëntis dotes, virtutes, munia ſive in privato, ſive in publico vitæ ſtatu.

2. Artic. (pag. 86.) Principis munus ad populum bene regendum. Filii erga Parentes obſervantia. &c.

3. Artic. (pag. 90.) Præſcripti parentandi Ritus. Quidam eorum tranſgreſſores referuntur & arguantur. De Spirituum cultu. De legibus imperialibus. De arte jaculandi. De Muſica.

4. Ar-



## Index & Synopsis Librorum.

luctus pro patris & matris morte. Quaedam hominum exosorum, aut sordidorum genera.

18. Artic. (pag. 186.) *Law aliquot Principum antiquorum & Praefectorum, illecebra mulierum bonum regimen perturbant. Gesta nonnullorum Sapientum, occultam vitam agentium. Diversi Musices Praefecti in convivium adhibere soliti. Boni regiminis quaedam regule.*

19. Artic. (pag. 191.) *Quis verus sapientiae Alumnus? ejus munia. Alios docendi norma. Obvolutio, & laus Confucii.*

20. Artic. (pag. 195.) *Refertur series & primordia Imperatorum Yao, Xun, Yu, Chim Tam, Vu Vam. Deinde nonnulla boni regiminis virtutes, & mali vitia.*



# LIBER IV. Memcius.

LIBRI I. CAPUT I. pag. 209.

**D**octor Memcius cum Regulo Leam hoeci vam sequentia edisserit: Sapiens Princeps ad bene regendum, non utilitatem & questum, sed pietatem & aequitatem querere debet; tunc si habeat amantissimos loca, illi securè fruatur; inspicens Princeps non potest illi securè frui. Bonum regimen parit populi frequentiam. Radix autem boni regiminis est prospicere rebus ad populi victum necessariis, v. gr. rei agrariae, piscationi, arborum amputationi, agrorum divisioni, bombycum & animalium domesticorum alendorum utilitati. Tunc populi amor oritur erga Principem. Quo amore habito, faciliè possunt & leges sanciri, & instructiones dari, & schola erigi. Tempore famis, Princeps egenti populo diligenter opuletur, nec alat inutilium animalium turbam, quae hominum fame morientium cibum devorant; atque ita immisericordi regimine eos non enecat. Sit parcus in panis, modicus in tributis, sollicitus in agricultura, providus in morum instructione. Tunc alii populi, qui à suis Principibus tyrannicè opprimuntur, ad eum convolabunt, & se ei ultro subdent.

Postea agendo cum Regulo Siuen Vam, eandem etiam ritè imperandi artem  
eum

## *Index & Synopsis Librorum.*

*eum edocet. Hic Regulus ex aspectu bovis tremiscentis; qui ad macellum traheretur, commotus ad commiserationem, jusserat eum à morte eximi. Inde Memcius arripit occasionem eum hortandi, ut istum innatum commiserantis animi affectum, quem in bovem exercuit, in populum exerat; piùmque ac benignum regimen teneat; nec facultatem, sed voluntatem tantùm posse ei deesse variis similitudinibus probas; nihilque esse periculosius, quàm cor in pondère & mensura errare. Denique suadet, ut non frustra vi & armis, sed utiliter pietate & aequitate ad Imperii fastigium aspi-  
ret procurando omnia, quæ sunt populo necessaria ad commodam sustentationem & habitationem.*

---

### **Memc. Lib. I. Cap. II. pag. 227.**

**M**emcius ostendit Regulo Siuen Vam Musicæ amorem Principi prodesse ad bonum regimen ob consimilem & sonarum & animorum concordiam, dummodò Princeps suam Musicam, seu suas delectationes cum populo communes faciat; nec velit ipse solus gaudere, dum interim populus præ inopia gemit, & perit. Deinde Princeps non vilem homuncionum, quæ cum bullientis sanguinis impetum sequitur, sed illustrem Heroum, quæ unam aequitatis rationem spectat, fertitudinem amet. Sè Princeps ex populorum gaudio gaudeat, & ex tristitia tristetur, omnium animos sibi devinciet. Olim Principes visitando suas terras, non gravamen, sed levamen populo afferebant; nunc contrà. Exemplar bovi regimini in Principe Kim Kum, qui super sapienti sui primi Ministri consilio jussit Musicam componi; & in Principe Ven Vam, qui maximè viduos, viduas, orphanos, senes liberis destitutos adjuvabat. Honestus sive opum, sive voluptatum amor non obest bono regimini, sed Principis durities & incuria. Unde Princeps antequam aliquem ad magnam dignitatem evehat, diligenti priùs examine utatur, oportet; nec statim aliorum dictis credat. Regii enim Ministri sunt instar opificiù, qui altum exstruit edificium; & instar lapidarii, qui pretiosam gemmam elaborat. Vi & crudelitate Regnum contra populi voluntatem occupare, periculosum est; contrà, dum populus tyrannide oppressus se ultro subdit. Benignitas exercenda in populum, ut postea data occasione, suum Principem & belli duces in præliis non deserat. Varia monita pro exiguorum Principatuum Dynastiæ ad se tuendos contra vicinos Principes potentiores. Vir sapiens Parentibus defunctis parentet juxta suas præsentis facultates.

**Memc. Lib. I. Cap. III. pag. 249.**

**Q**Uando populi tyrannide opprimuntur, siquis Princeps pium ac benignum regimen exerceat, tunc facillimè omnes ad se allicit, & novam Monarchiam auspiciatur. Sed ejusmodi Princeps jam pridem non reperitur. Cordis ars immobiliter obfirmandi, ut non concutiatur sive in rebus dubiis, sive in periculis. Referuntur exempla eorum, qui hac arte claruerunt. Ut hac obtineri possit, adhibenda est mentis intelligentia ad dissolvendas speculationis dubitationes, & vitalis aura vis ad pervincendas operis difficultates; & studio quidem constanti, ac non precipiti. Laus aliquot Sapientum antiquorum, & maximè Confucii. Modus regendi duplex: Archontum, & Imperatorum; illi armis & virium auxilio, hi pietate & virtutum exemplo regunt; illi homines & non corda, hi homines & corda sibi subdunt. Tempore pacis vacandum bono regimini, non otio aut solis voluptatibus. Ad officia & dignitates digni dumtaxat, & apti evehendi. Benignitas in populum exercenda. Licet omni homini sit ingenita quedam pietas, equitas, honestas, prudentia seu intelligentia; prout tamen unusquisque rebus assuescit, diversas contrahit affectiones & mores. Unde si quis illas virtutes non exerceat, id non ex naturalis facultatis defectu, sed ex propria voluntatis culpa provenit. In harum virtutum praxi diversi diversam inire viam.

---

**Memc. Lib. I. Cap. IV. pag. 270.**

**H**Æc tria ad militiam maximè conducunt: temporis electio, loci emolumentum, hominum concordia; sic tamen ut hæc concordia longè prævaleat aliis duobus. Princeps qui prior non invisit, sed ad se accit sapientia Magistrum, peccat contra urbanitatem. Sapientia Magistrum modò decet, modò dedecet accipere a Principibus munera. Præfæctus qui non potest bene fungi suo officio, debet illud abdicare. Parentes honorificè sunt sepeliendi. Feudatarii Reguli sine Imperatoris facultate non possunt de suis Regnis disponere, aut illa in alium transferre; nec bella inferre. Agere quod recta ratio agendum dicat, quamvis postea res malè succedat, non est contra prudentiam & pietatem, ut videre est in Principe Cheu Kum mittente fratrem suum ad invigilandum alterius Regno. Memcius cum nihil suis consiliis, motibus, documentis penes Regulum Siuen Vari proficeret, tandem penè invitus, & quadam quasi necessitate avulsus ex ejus Regno Cy discedit, ac in patriam redit.

**Memc.**

**Memc. Lib. I. Cap. V. pag. 286.**

**N**emo est, qui non possit virtutem exercere, & Sapientes imitari; in omnibus enim eadem est natura à Cælo infusa bonitas. Triennialis luctus ob Parentum mortem, filius omnibus communis. Hunc Memcius persuadet Principi Ven Kum, qui felicissimo successu juxta antiquos Ritus eum servat. Eidem deinde tradit boni virginis præcepta sic: Princeps curet, ut populus semper habeat, unde commodè vivat; pro tributo unam tantum decimam aut undecimam frugum partem exigat; erigat frequentes scholas ad populi instructionem. Deinde tradit quadrangularem agrorum divisionem, ut nec Agriculis, nec Regiis Ministris detur furandi locus; & quanta ex hac divisione profluant emolumenta, ostendit. Quidam Sectarii, qui ad veram bene regendi artem volebant, ut Rex æquè ac populus ex proprio manuum suarum labore viveret, egregiè refutantur à Memcio. In Regno diversis diversa officia & opificia sint, oportet. Unus non potest omnibus & singulis officiis vacare. Hinc Imperator Yao suis Proceribus diversa diversis distribuit munia; & id dicitur universalis pietas, qua Princeps & omnes sublevat, & omnes instruit. Memcius reprehendit aliquem, qui à Magistro suo acceptam Confucii doctrinam deseruerat ad sequendos Sectarios & hos Sectarios, qui volebant unum semper & idem præteritum omnibus rebus sive majoribus aut minoribus, sive melioribus aut pejoribus imponendum, acriter confutat. Ibidem refutatio alterius Sectæ, quæ volebat omnes homines sine ullo Parentum & exter-norum discrimine, æqualiter esse diligendos; cum tamen ipse mos honorificè sepe- liendi Parentes, ex singulariori & majori filiorum erga illos amore à natura indito emanarit.

---

**Memc. Lib. I. Cap. VI. pag. 308.**

**S**apientiæ Magister sine prævia invitatione, peccando contra honestatis leges, non debet indecenter adire Principes; ut suam eis de arte bene vivendi & regendi doctrinam tradat; quævis enim homo, vel ipse auriga erubescit aliquid agere contra sue artis regulas. Nec sit instar puellæ nubentis, cui commendatur, ut obsequiosè se accommodet alterius voluntati; ubique enim & semper cordis relictudinem, morum honestatem, operum æquitatem immortis servet, necesse est. Quærit quidem dignitatem, ut suam doctrinam propaget; sed rectè æquitatis viâ. Insuper dignitatis licet careat, mereatur tamen propter Magisterii beneficium lautè à Principibus tractari.

Princeps,



## Index & Synopsis Librorum.

Princeps, qui vult in Imperio dominari, pietate & benignitate, uti olim Principes Chim Tam & Vu Vam, non cædibus & crudelitate sibi subdat populos, oportet. Propterea non unum tantum, sed multos sapientes Ministros penes se habeat. Dum Principes signa honoris & benevolentie exhibent sapientiæ Magistro, illos debet invisere. Inveterata sceleris consuetudo subito abrumpenda, non lentè diminuenda. A principio Sinensis Imperii semper videre fuit alternantes boni & mali regiminis vicissitudines sibi invicem succedentes, uti ex Imperatorum historia patet; & mali regiminis tempore semper exurrexisset virum sapientem, v. gr. Confucium, &c., qui labanti Imperio succurreret. Memcii autem temporibus, cum grassarentur Secta Yam Chu, qui sibi uni, non publicæ utilitati volebat vacandum, adeoque Reges respuebat; & Secta Me Tie, qui nullam habitam consanguinitatis ratione omnes homines aequaliter amandos docebat, adeoque Parentes non agnoscebat; idcirco Memcius ait se non disputandi pruritu, sed necessitate compulsus ad prava illorum dogmata resellenda. Deinde arguit exoticam alicujus laudati viri temperantiam.

---

### Memc. Lib. II. Cap. I. pag. 327.

**P**riniceps ut bene regat, antiquorum Principum legibus, quemadmodum artifex normam, & Musica Præses notis musicis, utatur, oportet. Illi enim antiqui Principes ad tradendam vasorum, instrumentorum, mensurarum, pondcrum formam, omnem ocalorum vim; ad instituendam Musicæ concordiam, omnem aurium vim; ad sancientias rectæ disciplinæ leges, omnem cordis vim exeruerunt. In Principe sapientia & aequitas; in Ministris promptitudo & fidelitas requiritur. Aequitate & pietate Reges conservantur; iniquitate & crudelitate perduntur. Boni regiminis fundamentum, est morum compositio in Principe: tunc enim omnes cupiunt illi subesse; contra, à Principibus, qui moribus incompositis & rigore regnant, fugiunt, uti bestia à feris prædatricibus. Et licet velint interdum videri pii & recti; ficta tamen virtus. Ut hominem noscas, inspicienda oculi pupilla. Datur ratio, cur pater filium non per se, sed per alium erudiat. Nulla major observantia, quam Parentum; & nulla major custodia, quam sui ipsius; hæc illa prior; & illa est boni regiminis basis. Multi Principes in graves culpas incidunt, quia Ministros sibi malè eligunt. Deinde rursus de filiali observantia.





## *Index & Synopsis Librorum.*

affectus est quadruplex, scilicet commiserationis, pudoris, reverentiæ, scientiæ; sive est quadam pietas, æquitas, honestas, prudentia inchoata & ingenita, adeoque ipsi naturæ intrinseca. Una & eadem in omnibus hominibus natura; unde quod aliqui malè vivant, interea dum alii bene agunt, id non ex natura, sed ex eorum pravitate oritur. Quemadmodum enim innata humanorum membrorum, v. gr. oris, oculi, auris propensio erga suum objectum, in omnibus hominibus est eadem; ita & cordis seu animi nostri propensio atque appetitus erga honestatem & æquitatem est eadè. Sed sæpè prava cupiditas devastat hunc innatum appetitum, sicut pabulantes boves devastant ac proculcant resecti nemoris repullulantes surculos. Ista innata cordis rectitudo, post diurnos pravae cupiditatis tumultus, vespere & manè solet repullulare; sed si interdum semper pessundetur, tandem suffocatur ac perit. Nihil tamen illà pretiosius; imò pluvius aestimanda quam vita. Sed perditii homines non illam curant; nec nobiliorem suæ substantiæ partem, scilicet cor ac mentem, norunt alere; magis de ventre solliciti, parte longe ignobiliori. Et ratio est, quia per mentis cognitionem non firmannt ac roborant cor suum adversus prava rerum mundanarum incursum; quin imò suis vitiis frivolas causas prætendunt.

---

### Memc. Lib. II. Cap. VI. pag. 416.

**C**ordis honestas plurius faciendâ quam esca & voluptas. Nemo est, qui non possit antiquos viros illustres imitari, agenda, quod illi agerunt; fugiendo, quod illi fugerunt. Pro majori vel minori Parentum culpa debet esse major vel minor filiorum querela. Dispar causa pro muneribus gratias coram agendi, vel non coram agendi. Viri sapientes in Regnis utiles, nec facillè cognosci possunt. Optima imperandi ratio fuit ea, quam tenuerunt primi trium Imperialium Familiarum Conditores; post hanc venit altera, quam secuti sunt quinque illustres Archontes; sed recentes Reguli nec hanc, nec illam servant; imò & recentes Præfecti adhuc pejorâ quam sui Reguli, agunt. Vide ibi ista singillatim exposita; ac præsertim egregia regiminis præcepta ab uno Archonte tradita. Prisci legum Conditores adscripserunt Imperatori ac Regulis certos terræ limites, quos transilire non licebat; adeoque nullus Regulus suum regnum augere poterat. Modus exigendi tributum majus vel minus, diversus juxta diversas regiones. Vir Recti amator, qui labens monita & consilia audit, est optimus Regni Minister; & contrâ. Tres causæ, quæ olim Sapientem ad Magistratum vel suscipiendum vel abdicandum, impellebant. Multi Sapientes ex infima vitæ conditione ad summum dignitatis gradum evecti.

Memc. Lib. II. Cap. VII. pag. 436.

**Q**ui cognoscit rerum naturas, potest Calum cognoscere, & tunc Calo inservire. Vir sapiens in omni re Cæli providentiam expectat, illique acquiescit. Colere virtutem, homini facile est; noverit tantum erubescere. Sapiens, non debet suam sapientiam vilipendere ad captandam Principum gratiam; privatus sibi vacat; in dignitate positus, sibi & aliis; semper sui similis. Sapientis Principis exempla fortius trahunt, quam decreta. Pietas & æquitas homini ingenita. Regiorum Ministrorum quatuor genera. Tria sunt quibus Sapiens delectatur. Sapiens natura sua beatitatem in virtutis exercitatione collocat. Ad Principem pium ac benignum omnes ultra consuunt; hic agros ad arandum, & spatium ad habitandum ritè populo partitur; arbores ferere, animalia alere, temperantiam servare, virtutem colere sollicitè eum edocet. Virtutis Law & origo. Prudentiæ vitia, ac munus. Sapiens nec honore aut contemptu, nec opibus aut paupertate movetur. Finis ac ultima perfectio coronat virtutem. Sapiens propter morum exemplum, & doctrinæ beneficium dignus est, qui à Rege accipiat stipendium. Casus perplexus. Conditionis nobilitas & educatio solat diversum ab aliis agendi modum homini indere. Triennialis ob Parentum mortem luctus imminui aut contrahi non debet. Quintuplex modus, quo Sapiens alios docet. Magister ostendit, non indit virtutem. Virtutes, quæ Principi per se decent.


---

Memc. Lib. II. Cap. VIII. pag. 455.

**P**riniceps, qui armis & cædibus suum Regnum ardet extendere & augere, invertit amoris ordinem: amoris enim ordo est, primo loco Parentes & consanguineos amare; secundo, populos; tertio, pecudes ac plantas. Ille contra. Priniceps sapiens non eget armis, ut vincat; sola pietate & æquitate omnes ad se allicit, uti Principes Chim Tam & Vu Vam. Imperator Xun, mirus rerum mundanarum contemptor. Hypocritæ faciliè cognosci possunt. Tria sunt, quæ in Regnis magni sunt: Priniceps, populus, & locus in quo regionis Spiritui cultus exhibetur. Viri sapientes & in vita & post mortem alios ad virtutem accendunt, licet obrectationibus sint sæpè obnoxii. Si rarè teratur rectæ rationis via, brevi sentibus oppletur, ac perit. Sapiens nihil se indignum debet agere. In quo & hominis natura, & Cæli lex consistat? Vir probus, verus, eximius, magnus, sapiens, spiritualis, quis? Scētarius dum voluit suos errores deserere, benignè excipiendi. Triplex anni tempus pro exi-  
gondo

## *Index & Synopsis Librorum.*

gendo tributo. Tria à Principe plurimi aestimanda; scilicet Regnum, populus, regimen. Sapientis commiseratio & pudor debet ad omnia se extendere. Diversi Sapientum ordines. Sapiens dum Principes alloquitur, non debet esse timidus. Confucius exoptabat Discipulos, qui magnos spiritus gererent, aut essent propositi tenaces; abhorrebat autem illos simulatores, qui ob fictam virtutis speciem & externam honestatem à suis concivibus laudantur & extolluntur, ceu viri solertissimi ac exultissimi. Ferè post singulos 500. annos solet exurgere Magister, qui sapientiae doctrinam bene calleat, tradat, propaget.



## LIBER V.

# Filialis Observantia.

**Q**UAE Confucius de hac filiali Observantia breviter tradit suo Discipulo Tsem Tsiu, haec sunt:

In primo capitulo (pag. 474.) totius argumenti explanatio; hoc est, filialis observantia suum initium à Parentum obsequio, medium à Regis servitio, finem à morum perfectione accipit.

In 2. 3. 4. 5. 6. cap. (ibidem) quaenam filialis Observantia deceat Imperatorem, Regulum, primum Praefectum, litterarum Alumnium, virum plebeium.

In 7. cap. (pag. 476.) tres causae, seu principia, scilicet caeli motus, terrae utilitates, hominis actiones, circa quae versatur filialis observantia.

In 8. cap. (pag. 477.) filialis observantiae regimen; id est, prisca Imperatores, Reguli, primum Praefecti suo benigno regimine omnes suos subditos proliciebant ad adjuvandum suorum Parentum cultum.

In 9. cap. (pag. 478.) virtutis regimen; id est, inter virtutes morales excellit filialis observantia, qua filius Parentem, ut suae vitae authorem, confert cum caeli Domino rerum omnium Authore. Filialis observantia est fons & radix totius boni regiminis.

In 10. cap. (pag. 479.) filialis observantiae expositio, sive singula ejus officia.

In 11. cap. (pag. 480.) quinque poenarum genera, quibus subjacent quavis delicta; & inter delicta nullum majus filiali inobedentia.







## *Index & Synopsis Librorum.*

### CAPITULUM III.

#### Sui Studium.

##### §.1. Cordis Regulæ. pag. 517.

**R**esta ratio debet regere pravam cupiditatem: nil turpe videndum, audiendum, cogitandum, agendum. Novem Sapientis cogitationes, &c.

##### §.2. Morum seu externæ compositionis Regulæ. pag. 519.

**H**onestas & equitas ex corporis compositione emanat. Immodestia & rusticitatis culpa. Urbanitas in domûs ingressu, consortio, via, incessu, verbis, jaculandi exercitio, &c. Et quæ vitia in iis committi possint?

##### §.3. Vestitûs Regulæ. pag. 522.

**R**itus primi pilei imponendi Adolescentis capiti. Quem modum in suo vestitu servabat Confucius?

##### §.4. Victûs Regulæ. pag. 523.

**V**aria rusticitates, quæ vitari debent in mensa. Quem modum in suo victu servabat Confucius? Fugiendæ comotationes & commestationes.

---

### CAPITULUM IV.

#### Antiquitatis Indagatio.

##### §.1. Priscorum exempla de rectæ disciplinæ Institutione. pag. 525

**M**ira matris in suo filio Memcio educando cautela ac sedulitas. Modus quo Confucius suum filium Ly instruebat.

##### §.2. Priscorum exempla de quintuplici humanæ conditionis ordine. pag. 527.

**C**onstans Principis Xun observantia erga perversos suos Parentes. Itè Principis Ven Vam erga patrem suum Ki; Principum Vu Vam & Cheu Kum erga patrem suum Ven Vam; Doctoris Tsem Sen erga patrem suum Tsem Sie; pueri Pe Yu erga matrem suam, &c. Diligentia Discipuli Kum mim siuen in imitanda Magistri vita. Nonnullorum filiorum singularis cura in exequiis & Parentum defunctorum cultu. Administrum Yu Jam, & bellici ducis Vam sun kia ardor ad ulciscendam injustam Dominorum suorum mortem. Conjugalis morum honestas; spon-

## *Index & Synopsis Librorum.*

*sponsa & uxoris generosa fides erga sponsum & maritum, fratrum amor, Regis æquitas, Amicorum reverentia variis exemplis comprobatur.*

### §. 3. Præcorum exempla de morum ac vitæ compositione.

pag. 538.

**P**incipis Pe Y integritas, Præfecti Tan Tay cautela, Discipulorum Nan Yum consideratio, Tſu Lu diligentia, Yen Hoci patientia; in uxore Præfecti Ven Pe otii fuga.

### §. 4. Præcorum exempla de honestate & modestia. pag. 541.

**E**gregia Præfecti Xe Cio de honestate & gravitate documenta. Item Præfecti Kam de Rituum honestate monita.

---

## Doctrinæ Parvulorum

### CAPITULUM V.

#### Pars extrinseca seu accidentalis.

##### De præclaris Recentiorum Dictis.

### §. 1. Præclara Recentiorum Dicta ad fusiùs explicandam rectæ disciplinæ Institutionem. pag. 544.

**V**aria Doctorum, pro puerorum educatione; Magistrorum, pro Discipulorum instructione; Parentum, pro filiorum vigilantia, virtute, progressu; Magistratûs, pro populi sui moribus documenta referuntur.

### §. 2. Præclara Recentiorum Dicta ad fusiùs explicandum quintuplicem humanæ conditionis ordinem. pag. 552.

**F**iliorum & famulorum munus. Imponendi primi pilei Ritus non negligendus. Ritus exequiales & parentales diligenter curandi. Triennalis luctus tempore ob mortem Parentum, temperantia victûs & alia abstinentiæ servanda. In exequiis

## *Index & Synopsis Librorum.*

*& in aliis rebus fugienda pravarum seu idololatricarum Sectarum praxes & artes. Monita pro Magistratibus. Cautela in matrimonio contrahendis. Domestica discipline praecepta. Amor fratrum. Amicitiae leges.*

### §. 3. Praecltra Recentiorum Dicta ad fusiùs explicandum sui Studium. pag. 56§

**P**restantia variorum Authorum effata de sui custodia. Monita pro visu, auditu, sermone, opere. Sedulo sibi vacandum; & magis sibi, quam alii carpendis invigilandum. Monita quorundam Doctorum in suis Museis exarata ad se ipsos excitandos. Stimuli torpentibus inditi ad priscos Sapientes imitandos. Libri quomodo legendi & conseryandi. In librorum lectione virtutis fructus & praxis quaerenda. Pravarum Sectarum damna.

---

## CAPITULUM VI.

### De praecclaris Recentiorum Gestis.

#### §. 1. Praeclara Recentiorum Gesta ad comprobendam rectae disciplinae Institutionem. pag. 575.

**R**igida Praefecti Liu Yum, & ejus uxoris Cham in pueritia educatio. Probum exemplum Magistri Hu Yuen coram suis Discipulis. Scholarum normam Doctor Chim proponit. Fœdus inter condiscipulos.

#### §. 2. Praeclara Recentiorum Gesta ad comprobandum quintuplicem humanæ conditionis ordinem. pag. 579.

**S**ingularis in filio Kiam Ke alendi matrem cura. Juvenis Sie Pao in patrem & fratres amor. Mira reverentia & sollicitudo privigni erga novercam agram. Luctus perpetuus filii Vam Meu ob violentam patris necem. Aliorum filiorum luctus in Parentum morte. Filii amor amissam matrem requirentis. Immota animi religio in aulico Praefecto Yam Ngan. Mendacium Praefecti morte mulctatum, & alterius sinceritas periculo liberata ac pensata. Moderatio in Magistratibus necessa-

## *Index & Synopsis Librorum.*

*ria. Nurus Chini constantia in alenda sua socru. Uxor voti mariti obsequens. Alterius uxoris mira erga defunctum maritum fides, nolentis ad secundas nuptias transire. Sororis virgines potius mortem, quam stuprum eligentes. Amor & honor erga fratres. Frater fratri peste laboranti constanti inservit. Honestus domesticarum facultatum usus. Constans plurimorum consanguineorum cohabitatio, & victus convivialis.*

§3. *Præclara Recentiorum Gesta ad comprobandum sui ipsius Studium. pag. 600.*

**M**oderatio, gravitas, modestia, recitudo, urbanitas & alia virtutes nonnullorum virorum recensentur. Singularis temperantia in victu & vestitu mundanarum rerum & garrulitatis fuga variis exemplis illustratur.





SINENSIS IMPERII  
LIBER QUINTUS CLASSICUS

D I C T U S

FILIALIS OBSERVANTIA,

*Simicè*

H I A O K I M.

LECTORI.



Ic libellus nihil aliud complectitur, quàm quædam responsiones, quas Confucius dedit discipulo suo *Tsem* de debito erga Parentes cultu, huncque ad bonum Imperii regimen maximè conducere affirmat. Quocirca quænam sint cujusvis filii, v. gr. Imperatoris, Reguli, primarii Præfecti, viri litterati & plebei erga suos Parentes officia, præclaræque horum effecta paucis indicat. Atque hæc etiam pauca pro prævia declaratione videntur abundè sufficere.

# FILIALIS OBSERVANTIÆ LIBER.

## CAPITULUM I.

Totius argumenti explanatio.



Um domi feriaretur Confucius, sic Discipulum suum *Tsem* sive *Tsem Tsu*, qui ad latus sedebat, interrogavit: Audivistine aliquando, quænam fuerit illa priscorum Imperatorum summa virtus & potissima disciplina, qua totum Imperium ita suis jussis subjectum habebant, ut mutua inter omnes concordia, nullaque Superiores inter & Inferiores ira aut querela intercederet? Mox *Tsem* assurgens: Tuus ego rudis *Sen* (*nomen loquentis*) unde, quæso, potuissim illam audivisse? Tum Confucius: Filialis observantia, inquit, est omnium virtutum basis, ex qua omnis recta exurgit disciplina. Sede, ut prius; ego id tibi exponam. Filialis observantiæ initium, est non audere corpus & membra à Parentibus accepta lædere aut labefactare; consummatio seu finis, est mores suos ritè perficere & virtutem colere; relicta post se magni nominis famâ, qua Parentes decorentur. Filialis Observantiæ initium à Parentum obsequio, medium à Regis servitio, finis à morum perfectione procedit. Hinc liber Carminum tom. *Ya Ya* sic ait: *Numquid debes assidue Mæjores tuos mentè recollere, & eorum virtutes imitatione subsequi?*

## CAPITULUM II.

Imperator.

**S**ic pergit Confucius: Dum Imperator ita & amat & veneratur suos Parentes, ut neminem in toto Imperio aut oderit aut despiciat: tunc exhibito hoc & amoris & venerationis erga Parentes excellenti specimine, ejus virtus & exemplum ita omnes populos commoveret; ut unusquisque suos Parentes nec odisse nec despiciere audeat. Commovere autem suo exemplo omnes populos, quatuor inter maria ubique dispersos, ad amandos & colendos

lentos suos Parentes, profectò illa est, quæ Imperatorem decet, filialis observantia. Hinc liber Imperialium Annalium cap. *Liu Him* seu *Fu Him*, sic ait: *Unius, qui virtutem sequitur, exemplum innumeros post se populos trahit.*

## CAPITULUM III.

### Regulus.

**R**egulus, utpote in alta dignitate constitutus, si non superbiêrit, quamvis sit altus, non tamen cadet; si in magna divitiarum abundantia noverit temperantiam & honestatem servare, quamvis sit plenus, non tamen redundabit. Altus non cadendo, potest diu tueri suam dignitatem; plenus non redundando, potest diu tueri suas divitias: dignitate & divitiis persistentibus, tunc poterit & suum Regnum conservare, & suum populum mutuâ concordia beare. Conservare autem suum Regnum, & suum populum mutuâ concordia beare, profectò illa est, quæ Regulum decet, filialis observantia. Hinc liber Carminum tom. *Siao Ta* sic ait: *Cave, cave sime, time, time aut instar appellenti ad profundissima abyssu clivum, aut instar calcanti subtilem glaciem.*

## CAPITULUM IV.

### Primarius Præfectus seu Toparcha.

**P**rimarius Præfectus nec vestes gerere, nec verba proferre, nec gestu moliri, quæ priscorum Imperatorum normæ non respondeant, aufit. Si verò nec loqui, nec operari aufit nisi juxta illorum normam, tunc nec verba, nec gesta, quæ eligat, habebit. Si nec verba, nec gesta eligat, tunc quamvis & verbis & gestis mundum impleverit, non tamen pravi oris, nec odiosi facti culpam incurret. His tribus ritè servatis, tum demum poterit parentale ædificium cum sua avita supellectili conservare; parentale autem ædificium cum sua avita supellectili conservare, profectò illa est, quæ primarium Regni Præfectum decet, filialis observantia. Hinc liber Carmin. tom. *Ta Ta* sic ait: *Amane usque ad vesperam, nè sis negligens in uniu viri (scilicet Regis) servitio.*

CA-



## CAPITULUM V.

### Litterarum Alumnus.

**V**ir litterarū ope ad dignitatem promotus, ut probè patri inserviat, utatur suo erga matrem affectu, & pari amore patrem prosequatur; ut autem probè Regi inserviat, utatur suo erga patrem affectu, & pari honore Regem prosequatur. Filii in matrem affectus est amor; Præfecti in Regem affectus est honor; patris cultus hunc utrumque complectitur. Idcirco qui filiali in patrem affectu Regi inservit, fidus, qui fraternâ in fratres seniores reverentiâ Magistratibus inservit, obtemperans est; fidus autem & obtemperans, cum in Superiorum obsequio culpas non soleat committere, hic potest suam dignitatem tueri: tuendo dignitatem, tunc poterit perenni erga Parentes defunctos cultu Ritus parentales sine difficultate servare. Posse verò perenni erga Parentes defunctos cultu Ritus parentales servare, profectò illa est, quæ litterarum Alumnus decet, filialis observantia. Hinc liber Carm. tom. *Siao Ya* sic ait: *Sen mane surgas, seu vespere dormias, noli eos, qui te genuerunt, probro afficere.*

## CAPITULUM VI.

### Vir plebeius.

**Q**uas in diversis terræ locis juxta varias anni tempestates, Cælum producit utilitates, has & diligenter procurare & temperanter expendere ad sustentandos Parentes, profectò illa est, quæ virum plebeium decet, filialis observantia. Itaque ab Imperatore ad infimum usque è plebe hominem, in servanda filiali observantia non datur primi & ultimi, nobilis & ignobilis gradus aut conditionis discrimen; nec ullus est, qui possit conqueri ad eam servandam vires sibi non sufficere.

## CAPITULUM VII.

### Tres causæ.

**T**um Discipulus *Isen* seu *Isen Isu* exclamans: Proh! quàm vasta est, inquit,

quit, filialis observantiæ extensio! Deinde sic illi Confucius: *Filialis*, ait; observantia versatur circa assiduum cæli motum, variam terræ utilitatem, communes hominis actiones. Homo enim ad colendos Parentes debet assiduum cæli motum imitari, & variam terræ utilitatem quærere. Imitari verò assiduum Cæli motum, & variam terræ utilitatem quærere ad conciliandos sibi populorum animos, est illos felicissimo successu absque pœnarum minis instruere, & optimum Imperii regimen absque rigore ac severitate consequi. Idcirco antiqui Imperatores rati, se populos hæc docendi arte posse optimè sibi devincire & ad meliorem frugem reducere, prius ipsimet largissimo erga suos Parentes amore illis prælucebant, & mox in toto Imperio nullum, qui Parentes suos negligeret, videre erat. Deinde æquitatem, qua documenta excipi convenit, exponebant; & mox illa avidissimè omnes excipiebant. Præterea fraterna erga fratres seniores reverentia ac demissione illis præibant; & mox, qui turbas & contentiones exciret, neminem deprehendisses. Insuper Rituum & Musicæ documenta suo exemplo illis dabant, & mox mutuam inter se concordiam omnes servabant. Denique virtutis præmia ac vitii pœnas illis ostendebant; & mox illam absque jussu profèqui, & hoc absque prohibitione fugere omnes noverant. Hinc liber Carm. tom. *Siao Ya* sic ait: *Supremus ille Imperii Minister Yn excelsa sua dignitate & auctoritate spectabilis, timidos omnium oculos longe datæque in se convertit, omnesque populi tremente aspectu illum suspiciunt.*

## CAPITULUM VIII.

### Filialis Observantiæ regimen.

**D**Einde sic rursus pergit Confucius: Olim sapientes Imperatores filialis observantiæ subsidio totum suum Imperium bellissimè administrabant; hinc nè vel unum exiguissimi Regni Legatum audebant sine honore excipere; quantò minùs ipsosmet Regulos sive Ducis, sive Principis, sive Comitiss, sive Marchionis, sive Baronis titulo donatos. Idcirco omnes Reguli hac humanitate devincti lubentissimo animo confluebant ad adjuvandas parentationū solemnitates, quas ipsi suis prædecessoribus Imperatoribus ac Progenitoribus celebrabant. Simili modo Reguli Imperatorum imitatores effecti, nè vel unam viduam, aut viduum pauperculum audebant spernere; quantò minùs viros aut litteris aut virtute claros. Idcirco omnes

eorum populi hac humanitate devincti lubentiſſimo animo eos adjuvabant ad cultus parentatales erga prædeceſſores ſuos Regulos exhibendos. Præterea primarii Præfecti Regulorum imitatores effecti, nè vel uni domûs ſuæ famulo aut famulæ urbanitate deeſſe audebant; quantò minùs ſuis uxoribus ac liberis. Idcirco omnes domeſtici hac humanitate devincti lubentiſſimo animo eos adjuvabant ad inſerviendum ſuis Parentibus. Quibus ita habitis, omnes ubique Parentes, dum vivebant, pace gaudebant; dum obièrant, diligenter illis parentabatur. Quocircà totum Imperium concordia & tranquillitate florebat, nullæ calamitates exurgebant, nulla mala, nulli tumultus oboriebantur. Hinc ſapientes Imperatores, qui filialis obſervantiæ ſubſidio Imperium regunt, ſimilem etiam conſequuntur effectum, uti liber Carm. ſic ait: *Cùm Imperator grandi virtute excellit, tunc omnia circumquaque Regna ei ſponte obtemperant.*

## CAPITULUM IX.

### Virtutis Regimen.

**D**iſcipulus *Iſem*: Auſim, inquit, te, Magiſter, rogare: In viro omnibus numeris abſoluto, daturne major virtus, quàm filialis obſervantia? Quemadmodum, reponit Confucius, inter omnes res, quas cælum & terra producunt, nulla eſt homine nobilior; ita inter omnes hominis actiones nulla eſt filiali obſervantiâ inſignior. Inter omnes autem filialis obſervantiæ partes nulla eſt patris veneratione major; & inter omnes patris venerationes nulla eſt excelsior, quàm patrem cæli Domino comitem adjungere; Ritus autem patrem cæli Domino comitem adjungendi à Principe *Cheu Kum* principium duxit. Olim Princeps *Cheu Kum*, cùm litando cæli Domino antiquiſſimum ſuum Avum & Familiæ Conditorem *Hem Cie* comitem ei in litamine adjunxiſſet; poſtea litando in aula imperiali eidem cæli Domino, patrem ſuum *Ven Uam* etiam cæli Domino in litamine comitem adjunxit; (id eſt, parentalem patris Tabellam ad latus Tabellæ cæli Domini appoſuit;) atque inde factum eſt, ut omnes Imperii Reguli pro debito in Imperatorem obſequio, ultrò undique confluerent ad hanc parentalem Ceremoniam ſuis muneribus condecorandam. Quænam igitur major virtus quàm filialis obſervantia in viro omnibus numeris abſoluto deſiderari poteſt? Quocircà dum quis ab infantia iſto tenero erga Parentes amore educatur,

ducatur, postea majorem in dies erga illos venerationem sensim acquirit. Vir autem omnibus numeris absolutus, sua filiali veneratione filialem venerationem, suo filiali amore filialem amorem alios edocet; atque ita Princeps absolutus felicissimo successu absque pœnarum minis optima disciplinæ præcepta populis tradit, & optimum sine rigore consequitur regiminis effectum. Hæc autem omnia ex filiali observantia, tamquam ex radice profiunt. Pater respectu filii, est ut Cælum respectu rerum productarum; sive ut Cælum est universale rerum omnium principium, ita pater est particulare filii principium; & filius respectu patris, est ut Subditus respectu Regis. Quod primum in humanæ conditionis ordine locum tenet, est Parentum generatio; & in humanæ conditionis regimine, est Parentum gubernatio. Idcirco qui non Parentes, sed alios amat, is rationi; qui non Parentes, sed alios honorat, is honestati adversari dicitur. Si igitur Rex cupidus populos sibi obtemperantes habendi, huic honestati & rationi adversetur, ii non habent normam qua dirigantur; non quia Rex illos non amat, sed quia filialis observantiæ virtutem evertit; & quamvis pacifice Regno potiarur, alii tamen id parvi pendunt. Sapiens verò Princeps longè aliter se habet; in verbis æquitatem, & in factis populorum utilitatem spectat. Unde ejus virtus honore, facta imitatione, species veneratione, urbanitas exemplo digna censetur; dumque sic Regnum administrat, populi eum venerantur, amant, imitantur. Quocirca & virtutum documenta quæ tradit, & legum adminicula quæ sancit, felicem sortiuntur effectum. Quod laudat his verbis lib. Carm. tom. *Que Fum: Prob! quanta probitate ex- cellit iste Princeps! ejus honestas omni prorsus nayo caret.*

## CAPITULUM X.

### Filialis Observantiæ expositio.

**S**ic rursus pergit Confucius: Verus Parentum cultor in ædibus reverentiam, in alimentis lætitiâ, in morbis tristitiâ, in exequiis luctum, in parentationibus honorem erga illos omni cum studio patefacit. Qui hæc quinque præstat, potest dici verus Parentum cultor. Deinde verus Parentum cultor si sit in superiori dignitate constitutus, non superbit; si in inferiori magistratûs gradu collocatus, non tumultuatur; si in plebe dejectus, non altercatur. Qui autem in superiori dignitate constitutus

superbit, se cum illa in exitium trahit; qui in inferiori magistratus gradu collocatus tumultuatur, legum pœnas incurrit; qui in plebe dejectus altercatur, arma in se accersit. Qui ergo hæc tria à se non amover, quamvis quotidie tribus diversis bovinæ, ovinæ, porcinae carnis ferculis opi-  
parè Parentes alat, non potest tamen dici verus Parentum cultor.

## CAPITULUM XI.

### Quinque pœnarum genera.

**S**ic iterum pergit Confucius: Quamvis recenseantur ter mille delicta, quæ quinque pœnarum generibus singula singulis subjacent, nullum tamen filiali inobedientiâ majus est. Regem lacerare, est nolle Superiorem; Sapientes rejicere, est nolle Magistros; filialem obedientiam spernere, est nolle Parentes. Hæc verò tria sunt lata ad ultimam rerum omnium confusionem via.

Nota: Generatim hæc erant apud Sinas quinque pœnarum genera: Frontem insculpto nigro charactere notare, nares rescindere, pedem amputare, castrare, morte plectere.

## CAPITULUM XII.

### Potissimæ disciplinæ explanatio.

**I**terum sic Confucius: Ad docendos populos Regis amorem, nullus melior modus, quàm ut Rex amet suos Parentes; ad eos docendos Magistratum reverentiam, nullus melior modus, quàm ut Rex suos fratres seniores vereatur; ad immutandos pravos mores, nullus melior modus, quàm ut Rex Musicam curet; ad consequendam & suam pacem & populorum submissionem, nullus melior modus, quàm ut Rex Ritus colat; colere autem Ritus nihil est aliud, quàm honore alios prosequi. Itaque si Imperator patrem, fratrem natu majorem, Regulum honore prosequatur, mox omnes ejus filii, omnes ejus fratres natu minores, omnes ejus Præfetti gaudio exultabunt; atque ita honore unum prosequendo, innumerabiles exhilarabit; sive quos honore prosequetur, erunt pauci; quos gaudio afficiet, erunt plurimi. Et hoc dicitur potissima prisorum Imperatorum disciplina, & boni regiminis compendiosa ars.

CA-

## CAPITULUM XIII.

## Summæ virtutis explanatio.

**S**ic rursus idem: Dum dicitur Imperator sapiens sua filiali observantia omnes suos populos instruere, non hoc intelligendum est, quod namquamque domum, adiens, quotidie illos conveniat; sed quod & suæ filialis erga Parentes suos observantiæ, & fraternæ erga fratres suos. seniores reverentiæ exemplo efficiat, ut omnes in toto Imperio Parentes & fratres seniores debito honore colantur. Idcirco lib. Carminum sic ait: *Princeps, qui sibi devinctos populos removere valet, is dicitur populorum pater.* Ecquis autem, nisi sit summæ virtutis Princeps, tam amplum in devinciendis sibi populorum animis effectum obtinere possit?

## CAPITULUM XIV.

## Magni nominis fama.

**S**ic idem: Quia vir sapiens est fidelis in Parentum observantia, obsequens in fratrum reverentia, solers in domûs cura, ideò facile potest hanc Parentum fidelitatem cum Regis observantia, hoc fratrum obsequium cum Magistratum reverentia, hanc domûs solertiam cum Regni cura commutare; unde fit, ut, ubi domum suam absoluta virtute composuit, postea magnam nominis sui famam transfundat sequentibus sæculis.

## CAPITULUM XV.

## Admonitio.

**T**um discipulus *Tsem Tçu* sic Confucium interrogat: Quandoquidem igitur quid sit amore & honore Parentes prosequi, tranquillitate recreare, magni nominis famâ decorare, jam optimè intellexerim; ausim rursus percontari: Si quis filius Parentis dicto omninò pareat, potestne hic dici omnes filialis observantiæ partes adimplevisse? Quid loqueris, reponit Confucius? quid, inquam, loqueris? Olim Imperator habebat septem Admonitores: hinc quamvis ipse malè viveret, non tamen suo spoliabatur Imperio; Regulus

habebat quinque: hinc quamvis ipse malè ageret, non tamen suum Regnum amittebat; primarius Regni Præfectus habebat tres: hinc quamvis ipse malè se gereret, non tamen suam domum perditum ibat; sapientiæ Alumnus amicum unum habebat admonitorem, atque ita boni nominis fama non excidebat. Pater filium habebat admonitorem, atque ita in scelera non ruebat. Idcirco cum pater aut Rex in culpam incidit, omnino debet filius patrem, & Minister Regem admonere. Quomodo ergo filius, qui Parentis dicto omnino pareat, possit dici omnes filialis observantiæ partes adimplevisse?

## CAPITULUM XVI.

### Respondens effectus.

**R**ursus sic Confucius: Olim sapientes Imperatores sua filiali observantia inserviebant patri, seu Cælo: idcirco suo servitio Cælum perspiciuè noscebant; matri, seu terræ: idcirco suo servitio terram accuratè examinabant; mutuam inter consanguineos seniores & juniores benevolentiam procurabant: idcirco superiores & inferiores optimè regebant. Ritè autem & Cælo cognito & terrâ examinatâ, tunc intelligens Spiritus suos effectus prodebat. Quocirca Imperator quamvis supremam gerat dignitatem, habet tamen quos & ut Superiores veneretur, nimirum Parentes, Parentumque fratres; & ut Priores sequatur, nimirum fratres, cognatosque natu majores. Hinc in parentali defunctorum Majorum aula summam venerationem servat, ut Parentum suorum nunquam obliviscatur; & assiduâ cautelâ mores suos componit, veritus, ne Prædecessores suos ac Consanguineos seniores probro afficiat. Ubi autem hæc summa veneratio in parentali Majorum defunctorum aula servatur, illorum Spiritus se menti offerunt. Denique summæ in Parentes observantiæ, & in fratres seniores reverentiæ effectus non tantum ad intelligentes usque Spiritus pertingit, sed etiam ad omnes Imperii plagas clarissimè se se extendit, ita ut nullus locus sit, quem non pervadat. Uti lib. Carm. tom. *Ta Ta*, odâ *Yen Yam*, agens de hoc Principe *Yen Yam*, sic ait: *Ab Occidente usque ad Orientem, & ab Austro usque ad Septentrionem nullum erat cor, quod ei sese non submitteret.*

## CAPITULUM XVII.

## Regis Ministerium.

**S**ic pergit Confucius: Vir sapiens, qui agit primarium Regis Ministrum, dum regiam Aulam adit, omnes sui muneris partes explere; dum ab Aula recedit, emendare Regis culpas, vitia frænare, virtutes imitari meditatur. Hinc Rex & Minister mutuam inter se benevolentiam fovent. Sic lib. Carminum ait: *Enimverò, quò possis intimum illum amorem verbis exprimere? Quamvis procul à Regis latere semotus subinde existat, eum tamen in corde semper fovet; quando sanè eum oblivisci queat?*

## CAPITULUM XVIII.

## Parentum Justa.

**D**enique sic finit suum sermonem Confucius: Filius obsequens dum Parentibus justa persolvit, ploratum edit, sed dolor vocem intercludit; exhibet urbanitatis officia, sed sine forma; verba profert, sed sine ornatu. Pulchras vestes induere non sustinet; audiens Musicam, non sentit ejus suavitatem; edens cibum, non percipit ejus saporem; atque hic est debitus filii paternam aut maternam mortem lugentis affectus. Funerum autem Ritus ac leges à priscis Sapiens sancitæ præscribunt, ut post tres dies filius comedat, ad docendos nempe populos ob alterius mortem non esse nocendum suæ propriæ vitæ; macie quidem extenuandum corpus, non extingendum. Insuper præscribunt, ut funebris luctus ultra tres annos non extendatur, ad ostendendum funerum Ritus habere suos fixos limites ac finem. Præterea fit sandapila, ejusque ornatus adjectitius; sepulchrali amictu cadaver involvitur, & sandapilæ infertur; apponuntur escarum feracula, lugetur, gemitur, effertur funus; fœminæ compressis ad pectus manibus, viri exuti veste exteriori saltitantes plorant; eligitur aptus sepulchri locus, & septo circumdatur; sepulchro infertur sandapila; erigitur parentale ædificium ad faciendas parentationes; vere & autumnò illis parentatur ad renovandam istis temporibus illorum memoriã. Denique si

Ppp 2

vivid



**484 Sinens. Imper. Lib. V. Classic., Filialis Observantia.**

vivis Parentibus amore & honore, mortuis luctu & mœrore inserviat, videtur viventis filii munus omninò adimpletum esse, mortisque ac vitæ æquitas exactè servata. Atque is est filialis erga Parentes observantiæ ultimus finis.





# Errata

# Corrige

In <i>Præf.</i> Pag. 6. lin. 7.	cœpit exordium.	<i>lege</i> ,	cepit exordium.
Pag. 2. lin. 8.	natura ingenii.	<i>lege</i> ,	nativa ingenii.
Pag. 43. lin. 26.	Tractatum unum.	<i>lege</i> ,	Tractatum unicum.
Pag. 49. lin. 12.	illimibus oculis.	<i>lege</i> ,	limis oculis.
Pag. 90. lin. 31.	originem habebat.	<i>lege</i> ,	originem ducebat.
Pag. 97. lin. 19.	significabant.	<i>lege</i> ,	significant.
Pag. 115. lin. 5.	<i>Ten Teu.</i>	<i>lege</i> ,	<i>Gen Teu.</i>
Pag. 148. l. 10. 26. 35.	factu opus.	<i>lege</i> ,	facto opus.
Pag. 182. lin. ult.	diu.	<i>lege</i> ,	interdiu.
Pag. 186. lin. 22.	humaniter.	<i>lege</i> ,	inhumaniter.
Pag. 188. lin. 21.	in pectus.	<i>lege</i> ,	in pejus.
Pag. 201. lin. 22.	unique.	<i>lege</i> ,	ubique.
Pag. 211. lin. 5.	præparatu.	<i>lege</i> ,	festinato.
Pag. 236. lin. 9.	sic <i>Heu Cie.</i>	<i>lege</i> ,	hic <i>Heu Cie.</i>
Pag. 243. lin. 33.	confœderata.	<i>lege</i> ,	fœderata.
Pag. 244. lin. 7.	confœderati.	<i>lege</i> ,	fœderati.
Pag. 252. lin. 17.	pullorum cantus.	<i>lege</i> ,	gallorum cantus.
Pag. 357. lin. 28.	prædefinire.	<i>lege</i> ,	præfinire.
Pag. 279. lin. 23.	confœderatis.	<i>lege</i> ,	fœderatis.
Pag. 289. lin. 25.	ac vimineum.	<i>lege</i> ,	ad vimineum.
Pag. 297. lin. 19.	<i>post terræ tractum.</i>	<i>lege</i> ,	vel unum magnum terræ quadratum, cujus &c.
Pag. 299. lin. 5.	contexuerunt.	<i>lege</i> ,	contexunt.
Pag. 322. lin. ult.	boni.	<i>lege</i> ,	bonum.
Pag. 332. lin. 28.	confœderatus.	<i>lege</i> ,	fœderatus.
Pag. 347. lin. ult.	prædefinit.	<i>lege</i> ,	præfinit.
Pag. 349. lin. 11.	perfectionem.	<i>lege</i> ,	perfectionem.
Pag. 361. lin. 31.	stabat.	<i>lege</i> ,	itabat.
Pag. 379. l. 25.	{ sapientes sapientibus. insipientes insipientibus. }	<i>lege</i> {	{ sapientes cum sapientibus. insipientes cum insipientibus. }
Pag. 407. lin. 13.	die noctûque.	<i>lege</i> ,	diu noctûque.
Pag. 412. lin. ult.	fructibus.	<i>lege</i> ,	fruticibus.
Pag. 464. lin. 17.	dolunt.	<i>lege</i> ,	volunt.

# Errata

# Corrige

Pag. 508. lin. 30. *hac verba* excepta parentandi &c. *neſte cum verbis ſequenti-*  
*bus vir & mulier &c.*

Pag. 548. lin. 28. obtemperare. *lege,* obtempera.

Pag. 581. lin. 2. cypreſſum. *lege,* cupreſſum.

**Cetera benevolus Lector facile obſerva-  
bit & corriget.**